

contundendam inuidorum malevolentiam atque obtre-  
 ctationem. Ipse quidem illustris Vir pro summa illa  
 moderatione animi & æquitate facile agnoscit, quod  
 etiam ipsa Librorum de re literaria conditio docet, er-  
 rores subinde quosdam irrepsisse, in primis dolet Biblio-  
 thecam Historicam vrgentibus auditoribus, qui eius de  
 re literaria recitationibus intererant, magna festinatio-  
 ne fuisse absolutam, hacque de causa nunquam permi-  
 sit, vt iteratæ Editiones alia temporis adnotatione, quam  
**Anni MDCC V.** quo primum expressa, prodirent. BI-  
 BLIOTHECAM autem hanc IVRIS SELECTAM post  
 cumulatissima alia beneficia, quas publice prædico, meæ  
 commisit curæ, qui pro virium & iudicii imbecillitate  
 elaboravi, vt primum emendatior prodiret Quinta hæc  
 Editio, cum Quarta multis iisque grauibus fœdata esset  
 erroribus typographicis. Emendatissimam quidem  
 optavi omnemque operam adhibui, nec oculis peperci,  
 deprehendi tamen & ob humanam conditionem, & rei  
 typographicæ rationem, dum sæpe recte posita, leui li-  
 nearum mutatione peruertuntur, me id plene adsequi  
 non potuisse. Nouas Additiones, quæ hac vice, nisi me  
 typi fallunt quatuordecim pagellas implent ex Libris  
 antiquioribus & recentioribus ita collegi, vt semper re-  
 uoca-

---

—  
 mum Celeberrimum Virum, IOAN. ALB. FABRICIUM, dum in suis  
 ad ANSHELM BANDURII Bibliothecam Nummariam Adnotationi-  
 bus, illustrem Patronum contra similem, modestiorem tamen ex parte  
 Bandurii censuram, cordate defendit, hisce verbis: Certe plerosque cum  
 librorum Titulos ex Bibliothecarum Catalogis petiisse neuiquam sibi  
 persuadebit, qui totam vitam in Bibliothecis instructissimis consumisse  
 nouerit. Pauci vero illi qui STRUVIO obiiciuntur næui nec lucubrati-  
 nis vtilissimæ (de Bibliotheca Numismatica loquitur Celeb. Vir) nec  
 Viri Celeberrimi, qui iuuenis illam ante hos fere triginta annos edidit  
 gloriæ detrakere hilum poterunt,